conditionis atque plebeii status eos admonet, longeque felicius
admonet, quam ille quondam Philippo à cubiculis, qui quotidie
ante auroram cubile regium ingressus inclamavit: Philippe
homo es, hic enim sine verborum strepitu, nec semel
duntaxat, sed pluries id praestat officium, dum quoties morsum
infigit, vinculare videatur: Homo es, et quàm sit misera,
quam fragilis, quàm lutea, quàm abiecta hominis natura,
animo ingerere, ut maxima licet potiatur potestate, totique
quasi dominetur terrarum orbi, tamen hoc minutissimo animal-
culo, propriâ carne, proprioque sanguine pascere cogatur.
Quod si olim pediculus (si tamen pediculus et non potius pulex
fuit) apud Galliarum regem tantum potuit, ut, cum illum
regio insidentem vesti, famulorum quidam excuteret, conditionis
suae, sub. plebeio scilicet admonere ingenuè fateretur; quan-
to magis et melius pulicem, cum sit frequentior, et copiosior in
aulis principum versetur, id efficere credendum est. Verum
neque hos tantum, sed omnes omnino homines status sui conditionisque
non sinit vivere immemores, praecipueque delicatos illos Crassos,
Toppeos et Helenas, quos otiari non sinit; itaque à
multis gravibusque illos, quae ex otio, velut ex equo Troiano,
prorumpunt, malarum cupiditatum aestibus, eximit atque ex-
pertes reddit, ut proinde non tam vigilantissimi concionatoris,
sed etiam optimi paedagogi officium solerter agitare censendus sit.
Deinde quod crebrius tam ipso Servatore nostro, quàm ab

Licenza: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. 271r – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/it/zbz/D0147/271r)